

C V D

A T G G

1 6 1 1

R. D. 267

A. 309

Sammlung



12
M
D. O. M. A.
DE PERIPNEV-
MONIA,

Theses

QVAS SVB PRAESIDIO
Clarissimi excellentissimiq; viri,
DN. FRANCISCI PARCOVII, RO-
STOCHIENSIS, PHILOS. ET MED. DOCT.
eiusdemq; profess. publ. primarij, pro tempore Facultatis
Medicæ Decani spectabilis, Illustrissimorumq; ac potentis.
Brunouicensium & Lunæburgensium Archi-
atri dignissimi.

*Pro assumendo summo in Illustri Iulia
artis Medicæ gradu,
discutiendas proponit*

DANIEL MOLLERVS LVBECENSIS.

Habebitur disputatio 31. Maij. loco
& horis solitis.



HELMAESTADI,
Ex Officina Typographica Iacobi Lucij,

ANNO MD CCX.



Magnifico, amplissimo, consultissimo, pi-
dentissimoq; viro
DN. HIERONIMO Boglern /
CELEBERRIMAE HAMBVR-
gensium Reipub. Consuli
dignissimo.

NEC NON
Amplissimo prudentissimoq; viro,
DN. CASPARO Boijen INCLYTÆ
Lubecensium Reipub. Senatori
dignissimo:

Dnn. Cognatis, patronisq; suis æternùm
honorandis

Theses hasce

dicat & consecrat

autor.



DE PERIPNEUMONIA.

THESIS I.



Nter affectus qui corpus humanum exercent, peripneumonia non vltimum obtinet locum. Hæc græcis alio nomine dicitur πνευμονία, item πνευμονικόν, teste Cornel. Celso. l. 4. c. 7. Latinis Peripneumonia, Pulmonia *Interpres Galen. in 2. prognost. 67.* Pulmonaria *Interpres Gal. 6. in 6. Epidem. 8.* Barbaris Peripleumonia appellatur.

2. Gal. 2. m. m. 2. hunc affectum inter morbos connumerat quibus à particula læsa nomen fuit inditum. Cumq; in genere tumorum contineatur, qui corpori præter naturam insunt, ad diuersa reduci potest morborum genera. Potest enim esse Morbus in intemperie, in aucta magnitudine, & in soluta vnitare. *Gal. lib. de diff. morb. c. 12.*

3. Varijs ab autoribus definitur modis. Pleriq; tamen, quibus & nos assentimur, Galeni approbant definitionem, quod sit inflammatio pulmonis cum febre acuta, difficili respiratione, atq; maxillarum rubore. *Gal. 2. de art. cur. ad Glauc. 2. 4. de loc. aff. 8. & passim alibi. Paul. lib. 3. cap. 30.*

4. Inflammationis vox est ambigua, vt videre est apud Gal. (2. ad. Glauc. 1.) Generatim est omnis calidus & dolorificus cum feruore tumor, ex quouis humore ortus, & completitur reliquas etiam species, atq; Gal. idem est cit. loc. quod φλόγωσις, qua in significatione in definitione etiam est accipiendum. Propriè est ille tumor qui rubet, calet, dolet, atq;

renititur cum distentione, ex solo sanguine proueniens.
Gal. ibidem.

5. Differentijs reliquis prætermiſſis, contenti ſumus illis, quæ à ſubiectò accidentibus, & cauſis deſumuntur. Eſt enim vel primaria, vbi pulmo nullo alio quicquam ad id conſerente membro inflammatur, *Gal. ἰδιοπάθειαν, & πρῶτα πάθειαν 1. de loc. aff. 2.* appellat: vel ſecundaria, quæ alijs ſuccedit ægritudinibus, vt catarrho, anginæ, pleuritidi, & alijs morbis *Gal. per συμπάθειαν ἢ ἀπὸ τῆς πάθειαν* vocat.

6. Vtraq; eſt benigna vel maligna, prout ſymptomata vel remiſſa, vel graua adſunt. Huius meminit *VVierus* in lib. de occult. morb. c. 4. quem, qui vult, videat. Noſtrum de hac agere non eſt propoſitum. Item alia eſt ſanguinea, bili-oſa, pituitoſa aut Melancholica.

7. Locum affectum, pulmonem eſſe definitio arguit. Vtrum autem totum eius corpus ſit affectū, an verò eius partes, diſcrepantes ſunt, autorum ſententiæ, quas *Mercurial.* recenſet. 2. *Med. Pract. 4.* ex *Galeno*. *Diocles* venas, *Eraſiſtratus* arterias; *Erophilus* vtraſq; ; *Praxagoras* eas, quibus dorſo connectitur partes; *Aſclepiades* bronchia peculiariter & per ſe affici exiſtimarunt.

8. Hos dum conciliare nititur, nodum etiam ſoluit, quo cum & nos facimus, ſtatuentes parietes vaſorū & partis nonnullius pulmonum vt plurimum affici, partibus autem proximis illi parti imprimis, quæ inflammata eſt, toti etiam ſæpiſſimè pulmoni communicari affectum. Eiuſdem ſententiæ patrocinium ſuſcipit *Capiuacc. 2. Pract. 5.*

9. Cauſa proxima & continens eſt materia, quæ in inflammata parte continetur *Galen. 13. Met. 6.* eamque actu inflammationem efficit: Hæc autem eſt ſanguis. Omnis enim inflammatio, iuxta *Gal. 2. de aff. 9. & 2. ad Glauc. 1. & alijs multis in locis* ex ſanguine fit.

10. Sanguis iste vel est purus, vel cum reliquis humoribus permixtus, quo fit, ut aut exquisitas, aut œdœmatosas, aut erysipelatosas, aut scirrhosas pro mixtionis varietate faciat inflammationes *Gal. 2. Cris. 12. 2. ad Glauc. 1.*

11. Primaria peripneumonia fit potissimum à sanguine bilioso, eamq; ob causam rarissima est *Fernel.* quippe hic humor tenuis & maxime mobilis cum sit, rarus, laxum atq; molle pulmonis corpus facile permeat. *Gal. 4. de caus. puls. 12.*

12. Secundaria ex reliquis potius fit humoribus, imprimis sanguine pituitoso: quod innuere videtur *Gal. in comm. ad 5. Aph. 33.* ubi discrimen inter Pleuritidem & Peripneumoniam constituit: Non æquè, inquit, membranæ costas succingentes atq; pulmo, sunt natura aptæ humores suscipere. Densa siquidem est membranarum substantia, pulmo verò rarus admodum & laxus: quare huic quidem promptum est pituitosos & crassos suscipere humores, membranæ autem succingenti biliosos magis.

14. Causæ antecedentes sunt humores isti in cerebro, alijsq; partibus contenti, ad fluxum dispositi, atq; à forti mandantium partium facultate expultrice trasmitti, vel à pulmone, intemperie aliqua laborante, attracti, aut ob eius imbecillitatem recepti, aut in in ipso per paulatinam congectionem geniti. *Gal. 13. Meth. 3. in com. ad 7. Aphor. 1.*

15. Præterea mala intemperies *Gal. 13. M. M. 6.* pulmonis, vel membri alicuius communicantis: Item pulmonis imbecillitas atq; obstructio, causis antecedentibus annumerari possunt: Item distillatio de cerebro, pleuritis, angina *Gal. 2. de præfag. ex puls. 1. 6. Aphor. 16.*

16. Causæ præincipientes sunt excedens solis, aëris, vel medicamenti *Gal. 13. M. M. 6. 6.* calor, frigus intensissimum, motus intempestivus, aquæ vel vini meracioris ingurgitatio immoderata, imprimis post motum vehementem, aut æstum,

regio & constitutio aquilonaris, subita ex calore quouis in frigidum permutatio, error in victu, cruditates, vomitus post crapulam vel ebrietatem violenter excitatus, hæmorrhoidum, mensium, atq; varicum suppressio, pectoris contusio *Gal. 13. M. M. 6.* distorsio, tensio, casus, ponderis molesta gestatio, esus carniū immoderatus, aquarum mutatio *Hipp. l. 3. de morb. p. 403.* venena, medicamentorum præposterus vsus. Item quæ ex tota substantia pulmōni nocent, vt Lepus marinus. Item ira, furor, animi violenta agitatio, & in summa error in sex rebus non naturalibus commissus.

18. Signa Diagnostica reperiuntur ap. Gal. Laborantes tantam spirandi difficultatem & angustiam habent, vt suffocari videantur, ac recti sedere cogantur, vbi plurimum efflant, iuuari videntur, multum aërem frigidum attrahere concupiscunt, calidam sentiunt expirationem, inter tussendum sputum exspuunt, idq; modo hoc, modo alio colore infectum, vt interdum rubrum, interdum flauum, ac rufum, ac spumofum quoq; & nigrum, & liuidum appareat.

19. Insuper grauitatis cuiusdam thoraci incumbētis sensum sæpenumero ægrotantes percipiunt *Gal. 2. de loc. aff. 9. 4. eiusdem 8.* ac dolorem ex imo ad ipsum peruenire, & ad os pectorale, & ad Spinam. Pulsus eorū est magnus, vndosi quid habens, languidus, mollis, creber, atq; dicrotus. *Hip. 1. prognost. 24. Gal. 4. de puls. caus. 12.* vbi etiam rationem eorum reddit.

20. Præterea adsunt febris acuta *Hip. 3. de morb. p. 403. Gal. 4. de loc. aff. 8. & alibi,* coma, *Gal. lib. de puls. ad 1yr. c. 11.* deliriū, dolor grauans, maxillarum & faciei rubor, *Hip. & Gal. 2. prognost. 60.* vt veluti picti videantur, æstus corporis ferè intolerabilis, color corporis flauus, sitis ingens *Gal. lib. de art. med. cap. 64.* maximum vini desiderium. *Mercurial.* corporis iactatio, impotentia, arida, & flaua lingua, quæ temporis progressu nigrescit,

grefcit, finditur, atq; si digitum admoueris adhærefcit. *Hip. citat. loc.*

21. Oculi intumescens, nasus in summo simus, venæ temporum eleuatæ, appetitus prostratus. *Hip. & Gal. 2. prognost. 60.* Urina rufa vel subrufa, inferiùs tenuis, superiùs crassior, & spumosa apparere interdum solet.

22. Hunc affectum à Pleuritide (cum qua tantam habet conuenientiam, vt haud facilè possint discerni, & à quamplurimis celeberrimis Medicis pro iisdem habeantur atq; currentur) signa propria Pathognomonica distinguunt, quæ *Gal. in lib. contra Empiricos cap. 6.* recenset.

23. Si enim cum febre acuta difficultas anhelitus, tussis, & sputum coloratum apparet, communia hæc sunt vtriusq; signa. Si addatur dolor lateris pungitiuus, pulsusq; asperitas cum tensione, pleuritidis hæc sunt propria. At si non dolente latere, nec pulso duro existente, impotentia spirandi adsit, nisi ceruix erigatur, sitq; omnino tanta anhelandi angustia, vt propè suffocationem accedat, talis concursus Peripneumonia vocatur.

24. Pleuritis etiam dolorem in latere habet, Peripneumonia non item: *Gal. in com. ad Hipp. 1. de vict. acut. 58.* Huius rei rationem reddit, *4. de loc. aff. 5.* Pulmonis, inquit, dolores sunt remissi: duos enim saltem neruos perquam tenues à sexta neruorum à cerebro ortorum coniugatione recipit, extrinsecus per membranam ipsum continentem dispersos, & qui per visceris profunditatem non extenduntur: quem dolorem *Gal. 2. de l. aff. 4.* grauatiuum appellat.

25. Nec pleuritidem genarum atq; faciei rubedo, & oculi intumescens comitantur, neq; superuenit ei coma, quod in Peripneumonia contingit, in qua etiam symptomata multò grauiora deprehenduntur, quippe cum hæc sit periculosior illâ, quod patet ex 7. Aphor. 11.

26. Signa

26. Signa causarum desumuntur, quando expuunt ægri, ex varijs sputi coloribus, quos notauit Gal. *ad 5. Aphor. 33.* Rubrum enim apparet sputum, vbi reliquis non est sanguis infectus humoribus. Spumans & candidum, si pituitosus, flauum aut pallidum, si biliosus; nigrum aut liuidum si melancholicus.
27. Si nihil expuant coniectari licet ex lingua lentore quodam conferta, stertore inter respirandum, perpetua in somnum propensione, linguæ ariditate, vigilijs, delirio, maiori minoriue æstu qui in thorace percipitur, ex maiori minoriue angustia, respirationis difficultate, ac grauitatis sensu, ætate, temperamento, habitu, regione, anni tempore, æris constitutione, atq; præcedente victus ratione. *Eustach. Rud. 1. Præf. 48. Mercurial. d. 1.*
28. Prognostica sequentia quid in hoc affectu sperandum sit demonstrant. Peripneumonici vna salus viri-um robur est *Galen. 10. met. 5.* Iuuenes longè facilius à peripneumonia liberantur quam senes *Hip. & Gal. 2. progn. 69.* Peripneumoniæ exitus plerumq; lethalis est. *Gal. 2. in 6. Epid. 14. & 10. met. 5.* Respirationis facilitas maximum indicium est salutis in Peripneumonia. *Hip. & Gal. 1. progn. 25.*
29. Gesticulatio manuum in Peripneumonia signum est lethale *Gal. 1. progn. 23.* Sputum probè coctum permixtum, atq; alijs optimis conditionibus præditum, bonum est: At crudum, impermixtum, nigrum, liuidum atq; foetidum, futurum interitum portendit. *1. aph. 12. 2. progn. 43. 46. 47. & 67.*
30. Narium, aurium, manuum ac pedum frigus, dum in thorace summum percipitur incendium, vnguium liuor atq; aduncitas, oculorum ac temporum cauitas, narium acumen ab Hip. & Gal. inter lethalia signa reponuntur, *2. prognost. 4. & seqq.*
31. Qui Peripneumonici ex angina fiunt in septem die-
bus

bus pereunt : Si verò hoc effugerint suppurantur *s. aph. 10.*
Præcordia quibus inflammatione tentantur & pus colligunt,
ijs sub mortem nigra deijciuntur *Hip. Co. præen. 288.* Quæ ad
præcordia aut pulmonem dolores faciunt, si in pus vertan-
tur, malum denotant. *ib. 216.*

32. A morbo late. vel pulmonia habito alui profu-
uium adueniens, malum *6. aph. 16.* Peripneumonia cum ex ge-
nere acutorum sit, rarò secundum pertransit septenarium,
& vel ad salutem, vel interitum terminatur, vel in alium per-
mutatur morbum, vt abscessum, Empyema, vlcus. valefc.

33. Peripneumoniam lethalem, ægrumq; quarta aut se-
ptima die suffocaturam ostendunt vigiliæ, aut somni breues;
stuporem ac delirium inducentes, extrema frigida, vngues li-
uidi & curuati. Aët. In peripneumonia si pus aceruatim in
pulmonem eruperit, vel mortem festinam vel phthisin præ-
sagit. Valefc.

34. Quibus expulmonia abscessus fiunt aut circa aures
ac soporantur, aut ad inferas sedes, ac fistulantur, ij super-
sunt *2. progn. 64.* Si peripneumonia à pleuritide, malum, *7. aph.*
11. A peripneumonia Phrenitis, malum *ib. 12.* Abscessus, si in
cruribus erumpit, in pulmonia vehementi ac ac periculosa
omnis utilis est: optimus verò, si vbi sputum iam in mutatio-
ne est, fiat. *2. progn. 67.* In pulmonis inflammationibus, si lin-
gua tota alba fiat aspera, ambæ inflammatione vexantur: qui-
bus verò dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflamma-
tio affligit. & c. *co. præen. 400.*

35. In pulmonis inflammatione, quibus circa initia vri-
næ crassæ sunt, deinde ante quartum diem tenues euadunt,
mors impendet *ib. 415.* vrina, quæ initio coctionem habet,
post quartum autem diem tenuis euadit, in peripneumonia
periculum indicat *581. ib.*

36. Cum adeo curatu difficilis ex hisce cognoscatur hic

B

affe-

affectus, cura statim aggredienda, quam indicationes luculenter demonstrant. Quæ cum præcipue ex morbo, morbi causa & viribus desumantur, quid vnumquodq; illorum requirat ex natura indicationum notissimum est.

37. Nec indicationes ex partis affectæ natura desumptæ parum ad curam faciunt; Hæ Gal. autore 5. sunt, 7. *M. M. 13. & 2. ad Glauco.* quarum prima à temperamento desumpta, pulmonem ab inflammatione ad tantam intemperiem redactum, contrarijs curandum innuit.

38. Ex altera indicatione hæc insurgit, quod, cum actio pulmonis omnibus partibus non sit communis, sed saltem ex parte aliquid ad respirationem faciat. *Gal. citat. loc.* nec principis alicuius facultatis sedes sit, *Gal. ibid.* eius non tanta habenda ratio est, vt omnis ad eum, alijs neglectis, dirigatur cura, ac vitentur relaxantia, quod *Gal. 13. M. M. 15. & seq.* reprehendit in Attalo Medico.

39. Nihilominus ob respirationem, quæ ad vitam adeo necessaria est, vt animal ea priuatum viuere nequeat *Gal. 1. de vs. part. 1. 4. de loc. aff. 8.* eius autem instrumentum etiam pulmo sit, *Gal. 7. de vs. part. 5. & alibi passim* semper ea vitanda sunt, quæ hanc actionem vlllo modo impedire possunt.

40. Cumq; pulmo ob multifarios quos in corpore obtinet vsus perpetuo in motu sit, nec is in totum inhiberi possit (Ea autem quæ sananda sunt quietem requirant: *Gal. 5. M. M. 8.*) quantum fieri potest, quies imperanda, eaq; quæ motum augent, amouenda: ideoq; laboranti iniungendum est, ne magno vtatur respiratu, ac semper, quantum possit agat silentium *Gal. 3. M. M. 8.* atq; hoc modo minor redditus motus, rationem quietis obtinet.

41. Modum & viam vacuandi sputum suggerit. 3. à Galeno supra cit. loc. posita indicatio, videlicet asperam arteriam & fauces, quam viam in repurgandis vitijs pulmonis natura

tura

tura frequenter tentat, quamq; Medicus veluti naturæ minister sequi debet.

42. Quarta illa etiam negligenda non est, quippe quæ, cum per quod & quomodo euacuandum demonstrat, curationem variat. Acriora igitur (quod & quinta indicatio concedit) ac viribus potentiora medicamenta in hoc affectu sunt danda, cum tot partes pertranseant, atq; hinc non leuem alterationem ac mutationem, vnde id, quod de virtute eorum relinquitur imbecillum admodum est, subeant.

43. In topicis à nimis astringentibus abstinendum præcipit Gal. 11. M. M. 17. In ipsis vero relaxantibus, aliquid acrius partium quodammodo & euidenter calefacientium admiscendum; fortas enim trahendum potius quam reprimendum est.

44. Porro cum inflammatio ex noui humoris affluxu augeatur, 2. ad Glauco. 2. & quæ ad illam auferendam exhibentur auxilia in corpore plethorico vel nihil profint, vel non adeò tutò applicari queant; Gal. lib. de art. Medic. c. 95. humor affluens est inhibendus, & fluxus adimendus.

45. Ne humor ad partem affectam confluat, prohibetur, si & copiosior non generetur, & iam generato prospiciatur. Generatio inhibetur Gal. 13. M. M. 2. & 6. si fluxionis causa abscindatur: Quæ cum duplex sit hîc, materia & efficiens; hæc, vtpote quæ ex temperie iecoris moderata pendeat, tuenda; illa, quippe quæ copia peccat, tollenda.

46. Iuxta id adhibita diæta perficitur, quæ in sex rebus non naturalibus Medicis dictis consistit. Ad victum quod attinet, si inflammatio sit mediocris, paucus & tenuis requiritur; si magna, habita tamen virium ratione, tenuissimus, iuxta 1. Aph. 6. qui nihilominus declinante iam morbo mutari potest. Reliqua passim à Practicis tractantur.

47. Sanguis iam generatus & in pulmone contentus, si

paucus sit, nihil indicat; si multus, prouidendum, ne vel ad locum affectum confluat, vel ab ipso attrahatur, *Gal. 13. M.M. 2. & 6. 2. ad Glauc. 2.*

48. Hoc ne fiat sanguinis fluentis, atq; membri mandantis & accipientis habeatur ratio. Ad primum quod attinet, altero id medicinæ instrumento perficitur, videlicet chirurgiâ. Sanguis enim ad partem loco affecto contrariam auertendus, *Gal. cit. loc.* ibiq; relinquatur si paucus, atq; à natura possit regi; vel si corpus pluribus scateat humoribus, per loca conuenientia iuxta *r. Aph. 21.* educitur.

49. In principio igitur præmissâ prius alui lenitione secetur, nisi quid prohibeat, vena brachij, aut dextri, aut sinistri, aut vtriusq; quatenus dolor vel hoc vel illud latus occupat. *Rud. & Mercurial. ex Paul. & Cels.* idq; vnâ aut repetitis vicibus.

50. In vena eligenda solliciti sunt Autores: Capiuacc. *Rud.* & alij ex Rhase tundendam existimant Internam: medianam Mercurial. Verum nihil refert modo hæc modo illa: hoc in casu aperiatur, cum ex vno omnes fonte promanent; quod & *Galen. visum 13. M.M. 11.* qui illam, quæ apparet, aperiendam censet.

51. Præstant idem sanguifugæ super venas, quæ sunt in extremitate recti intestini positæ, atq; apertio venarum in poplite vel malleolis in mulieribus, atq; hæmorrhoidum in viris *Vid.* Item frictions brachiorum *s. M.M. 8.* dorsi, crurum, manuum atq; pedum, nec non vincula dolorifica.

52. Hoc tamen auxilium, quamuis multum secum afferat commodi, non tentandum pleriq; Practicorum iubent, si hic affectus aliû fuerit subsecutus. Rationi enim, inquit *Mercurial.* videtur consentaneum, sanguinem tunc fuisse missum, quantum sat fuit pro vniuersali plenitudine deponenda.

53. Quantitas secundum symptomatum atq; virium magnitudinem, atq; causarum varietatem est dimetienda.

54. Vbi

54. Vbi per virium imbecillitatem hoc præsidio non liceat uti, Don. ab Altom. Leon. & alij ex Cels. & Paul. dd. ll. thoraci vndiq; cucurbitulas vel cum, vel sine scarificatione admouere iubent.

55. Quod tamen in principio morbi nunquam faciendum & Gal. auctoritas & ratio suadent, Petr. Sal. in annot. ad Altim. c. 51. Fieri enim non potest, quin cucurbitulæ non præ- euacuata multitudine & imminutâ materia, circa locum affectum positæ, ab vniuerso corpore humores attrahant, inflammationemq; eo modo augeant. Idem Gal. verba confirmant 11. met. 17. dum inquit cucurbitula ijs utiliter, qui inflammatione pulmonis laborant, si prius sint euacuati, applicabitur: si verò abundantia succorum, (quam Græci Plethoram vocant) in his sit, non magis ex pulmone in pectus aliquod excrementi transfert, quàm ex toto corpore attrahet in vtrumq;.

56. Clarius idem inculcat 13. met. 19. vbi ait, vtendum cucurbitâ in ipsa parte, quæ phlegmone, vrgetur, inter initia non est; imò postea, quam totum corpus euacuaueris. Hinc Mercat. consultius fore censet, si eo tempore, vbi necessitas postulat, musculis brachiorum cucurbitulæ primò affigantur, quo aliquo modo euacuetur & diuertatur fluens humor, ac postea pectori, præsertim si carnulentum fuerit.

57. Neq; clysteres & cataractica, sanguine sufficienter misso, sunt prætermittenda, vbi videlicet humores turgent, 1. aph. 22. aut corpus vitiosis scatet humoribus. Cauendum tamen, ne nimis alius turbetur: Periculosa enim est teste Hip. in peripneumonia alui fluxio, nisi spumofum sit, quod excernitur.

58. Eligantur igitur benigna, quibus saburra corporis educatur, cuiusmodi sunt. Rad. Malu. Alth. lilior. Parietar. Mercurial. Fl. Malu. Melilot. violar. camomill. sem. Lini. fenugr.

prun. Damasce. pro decoct: in quo dissolu. cass. aut Mel. S. aut
ros. colat. Item Diacathol. vel aliud (pro dominantis humoris ra-
tione) Item ol. violar. amygd. dulc. Aneth. & similia pro cly-
stere.

59. Per os dari possunt, infusum Rhab. (quod ex sententia
Rondel. exhibendum in hoc affectu non est, nisi in decocto aliquo
pectoralis infundatur, certoq; compertum sit, hunc affectum ex bile
ortum fuisse.) Mechoac. Agaric. fol. senn. in quibus dissolu. a-
liquid Mannæ Calabr. cassiæ fist. Diacath. Diaprun. simp.
Item. decoct. viol. Malu. oxal. Endiu. Lactuc. Tamarind. in
quo Manna aut Cass. aut aliud pro humoris peccantis diuer-
sitate sit dissol. Valesc. talia purgantia in decoct. dissoluit,
quod respicit pectus & pulmones.

60. Parti mandanti confortantibus succurrendum, &
prouidendum, ne humores in illa abundant, atq; eos quos
habet & sufficiunt, retinere possit: quod remedijs fit conue-
nientibus 2. aph. 22. Idem obseruandum vbi totum corpus
humores transmittit.

61. Pars recipiens adstringentibus & repellentibus ef-
fet confirmanda, vt in alijs fit inflammationibus, sed natura
partis affectæ & positus eius id non permittunt: Foràs enim
trahere potius quàm reprimere in hoc affectu debemus Gal.
11. met. 17. Per deriuantia igitur & auertentia supra recensita
commodè id perficitur Gal. 13. met. 11. cum multa præsidia v-
triq; scopo semel adhibita vno & eodem tempore, aut sæpiùs
iterata diuersis temporibus, soleant satisfacere.

62. Materia, quæ pulmonibus impacta est ex præscripto
Gal. 13. met. 6. digerentibus tam intus exhibitis, quam foris
admotis extrahenda. In quibus cautè procedendum mo-
net Gal. 11. meth. 17. neq; in principio nimis calefacientia &
exsiccantia danda. Satis igitur est eo tempore ol. amygd.
dulc. seu butiro rec. s. s. thoracem inungere, atq; intus exhi-
bere

bere decoctum hordei, Iuiub. passul. Glychyrr. ptisan. cremor. Iulep. viol. Glycyrr. Iuiubin. cum aqua tussilag. Capill. ven. & similibus. *Vid.*

63. Vbi inflammatio paululum remiserit, ad validiora digerentia deueniendum, ex quibus exterius profunt litus ex ol. Camomelin. aneth. irin. & similibus. Item cataplasmat. ex farin. hord. foenugrac. lolij, cum pulu. Irid. & Meliloti cum s. q. ol. Camomelin. Butyr. rec. aut adip. anserin. vel gallinac. ac decoct. Meliloti aut Camomill.

64. In statu & declinatione detergentia, resoluentia, dissipantia, expectorationemq; promouentia maximoperè conueniunt. Quale est *Mercur. & For. 16. obseru. 26.* in causa calida, decoctum, quod recipit Rad. maluar. & liquirit. Fl. violar. Prun. Damasc. Iuiubar. Hord. sem. quatuor frigid. mai. anis. Decoet. in s. q. aq. cucurb. *pro qua substituit Forest. Vngul. caballin.* in colat. dissol. syr. violar. Iuiubin. Capill. ven. Electuar. diatragacanth. frigidum in hoc casu admodum commendatur.

65. Profunt etiam inunctiones ex ol. viol. de sem. Cucurb. Melon. Cucumer. amygd. dulc. Irin. Rut. Nardin. & aceto prius ablutis: pingued. anser. gallinac. butir. rec. Oesypo liqu. nec non Epithemata ex decocto hord. semin. 4. frigid. maior & minor. in quo dissolu. Syr. Violar. cucurbit. Nenuphar. & similes.

66. In causa frigida utile est tale decoctum, quod recipit Rad. foenic. malu. liquirit. Herb. capill. vener. Scabios. Hyssop. Marrub. origon. vngul. caballin. hord. Flor. cordial. Sem. Anis. passul. sebest. iuiub. prun. cot. Decoet. in aq. Colat. dulcor. saccharo. Celsus & Paul. *loc. cit.* commendant aquam mulsam cum Hyssop. feniculo vel Iride coctam.

67. Plurimum etiam valent in hoc affectu cerota ex ol. viol. Nenuph. & similium prius aceto ablutis: ex mucilag. sem.

sem. Psyl: S. coton. quibus Cels. sal immiscet, atq; ceræ q. s. conficiuntur. Item Emplastra, quale est illud Vid. in omnium ferè pulmonum affectibus vsitatissimum, quod recipit rad. alth. aneth. viol. farin. hord. fænugr. sem. lini, ol. viol. camomel. amygd. dulc. cer. & buty. q. s. ex quibus Empl. f. a. componitur,

68. Veteres etiam vsi fuerunt satis feliciter medicamento ex cera resin. theribint. medull. ceruin. Butyr. cæsypo humida ac radic. Irid. pulueris. ana. æqual. part. confecto, quod Practici commendant.

69. Interim non negligenda illa, quæ à tota substantia huic affectui contraria sunt, vt Sem. card. Ben. Mariæ. rament. dentis apri (*quo feliciter vsus fuit Mercurial.*) priapi ceruin. oculi cancri. lapilli percar. mumia, sperma cet. pulmo vulpis, cancri combusti, pulmonar. fol. Scabios. succis. fol. & sem. papau. errat. pulu. visc. querni. Capiuacc. Mercurial.

70. Symptomata hunc morbum comitantia interdum admodum vehementia atq; periculosa sunt, adeoq; vrgent vt methodum veram omnino inuertant, curationemq; totam ad se trahunt, nec causæ aut morbi sublationem expectari finant. Quà in re maximè circumspectum oportet esse Medicum, ne dum in symptomatibus auferendis nimis intentus sit, ægrumq; à molestia liberare studeat, causam foueat, ipsumq; in summum vitæ ac salutis discrimen deducat.

F I N I S.



AB: 153966


ULB Halle 3
001 509 306




Sb.

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.



M

A.
IPNEV
IA,

DN. HIER
CELEBERRI

AES IDIO
ntissimiq; viri,
PARCOVII, RO-
S. ET MED. DOCT.
rij, pro tempore Facultatis
trissimorumq; ac potentis.
burgensium Archi-
fimi.

in Illustri Iulia
gnadu,

proponit
S LVBECENSIS.
io 31. Maij. loco
litis.

STADI,
hica Iacobi Lucij,

lo cx.

